...bertus Stanislaus

...is Collegii Soc. Iesu Atrium
immortalitatis.



ATRIVM IMMORTALITATIS IMAGINIBVS Heroicarum Virtutum,

Illustrißimi & Excellentißimi S. R. I. Principis, Ducis in Olyka & Nieswiez,

DOMINI

D. ALBERTI STANISLAI RADZIWIŁ,

Magni Ducatus Lithuaniæ CANCELLARII,

Tucholień. Meueń. Cauneń. Pinsceń. Veloneń. &c &c.

CAPITANEI.

Fundatoris Collegii Pinsceń. Societatis IESV.

Ad leniendum ex obitu mœrorem Illustriß. & Excellentiß. Comitissæ in Wisnicz,

D. D. CHRISTINÆ LVBOMIRSCIÆ DVCISSÆ RADIVILLIÆ Cancellariæ Mag. Ducat. Lithu. &c. &c.

A

Collegio Pinscensi SOCIETATIS IESV Exornatum.



Anno Salutis M. DC. LVIII.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hered. Francisci Cæsarij S. R. M. Typogr.



VLećiałći o XIĘZNO Orzeł vmilony,
Rozrzewnił w ſercu twoim żal nieutulony:
Lecz nie ták chmurnym ćieniem śmierć Orłá okryłá,
Zeby ſię iego iáſność z nocy nie wybiłá.
Tám zálećiał gdźie Słońce nigdy nie záchodźi,
Dźień wieczny, nocy ślepey zá ſobą nie wodźi.
Gdźie ſą ſzczere roskoſzy, á do tego wieczne,
Od wſzelákiey przekázy wolne y beſpieczne.
Gdźie troski nie pánuią, gdźie pracy nie znáią,
Gdźie mieyſcá, nieſzczęśliwe przygody, nie máią.
Tám w ſłońce wieczne pátrzy okiem niezmrużonym,
Tym ieſt wdźięcznym widokiem vbłogoſłáwionym.
Ták z nim iáſność, y cnotá, w niebo zálećiáłá,
Iż y tu żywa, w wdźięcznych pámięćiách, zoſtáłá.
Otrzyi łzy ſmutna XIĘZNO, gdźie świátło nie ſchodźi,
Tám twoy Orzeł kocháný iáſność ſwą rozwodźi.
Bo gdy cnotá z zacnośćią lot Orłá proſtuie,
By y w ćiemny kray lećiał, ćiemnośći nie czuie.
Brzmią do tąd iego cnoty, ſławá śięga niebá;
Brzmi przykłádna pobożność: żal miárkowáć trzebá.
Ná coż proſzę ten Orzeł trąby w ſercu nośi?
Ze ſam w Boskim ieſt ſercu przez te trąby głośi.

ATRIVM IMMORTALITATIS.



HÆc eſt vera, multisq; ambita, conceſſa paucis vitæ mortalis felicitas: decurſu temporis immortalitatem attingere, & impetu quo vſibus humanis eripimur poſteritatem occupare. Sapientiſſimo enim inſtituto ita damnis noſtris prouidetur, vt illa quidem in lucra, & ſpolia mortalitatis in trophæa gloriæ commutentur. Quidquid viximus perdimus, ſi ſimul toti deſinamus eſſe, dubitariq; non immeritò poteſt an fuerit? cuius corpus & virtus eodem conduntur tumulo. Licet, ſi libet, optimâ hominis parte virtute, immortales fieri. Hoc auguſto Spiritu poſſumus animari à morte, hac beatâ fecunditate, propagari ad poſteritatem. Pulchrum, & votis ampliſſimis par monſtrari digito,

& dicier, HIC EST:

quoties tamen alio vultu quàm virtutis conſpicui, famam publico damus, nec maiores exiguâ tumbâ, nec diuturniores fragili tabulâ, nec illuſtriores ſparſis leuiter coloribus apparemus. Repetamus tantiſper acta antiquis ſæcula; mauſolea æternitati ſacra ingrediamur, atria fumoſis hêroum imaginibus auguſta introſpiciamus. Quæ illæ ſpecies virorum? quàm illuſtres formæ, quàm admirandæ? viuit adhuc, & totum vno vultu ſpirat Cocles exercitum, ardet illuſtris aſſumptis ignibus Sceuola, inſultant hoſtibus deuota Patriæ

Deciorum capita, Fabij Veios fatigant, Annibalem Alpes horrent, Scipio Africam premit, Pompeius triumphat, Augustus orbi leges dicit. Intersumus absentibus, nobisq; intersunt absentes, noscimur ac noscimus. O pulchram virtutis formam,? ô immortale decus? ô perennem gloriam? Age verò si eadem virtus cælesti religione cultior cælesti insignior prodeat specie, quos quantosq; monstrabit heroas? quibus vitæ melioris oculos animosq; spectantium complebit exemplis? viua vtique quæ viuis dat animos, & vita, quæ luci communi subductos luce fouet publica. Sinceræ virtutis cultores morte posteritati eduntur, excessu conseruantur: beatiori propagatione: quam à primo vsu auræ sumpserunt: quia & suimet parentes, nulli vitam debent, olim debitam, & temporum decrementa non metuunt, toti simul æternitati nati. Tales vos noscimus, attonitiq; diu intuemur, ô ingentes animæ, terrarum decora, perennitatis lumina, sæculorum Atlantes. Constantini, Theodosij, Casimiri, Eleasarij. Errant qui existimant ablatos vos, à populorum aspectibus, quia excessistis terris. Vt sol per siderum culmina elatus, non aufertur oculis, sed lucidior infertur: ita Heroës virtute Deo sacra illustres, dum solo cedunt, occupant cælos: tanto clariori luce orbem illustraturi, quanto altius fastigium obtinuerunt. Atria nobilitatis maiorum imaginibus antiquis culta. Atrium Immortalitatis orbis est. Pictorio penicillo non colitur, sed virtute. Quærat cum Macedone Appellem, cui ars aliena in pretio: ridebit Iupiter sua fulmina peregrinis inserta manibus: applaudent iusto Ioui sana ingenia, quibus ignominiosissimum alieno gloriari. Nonne vmbra hominis imago cor-

go corporis? quid eius partis superuiuat, cuius possessio mors est? vnde homines noueris, quos ligneas linteasq́ cernas tabulas? scilicet homo non truncus est, si truncus scalpatur, vir non æs, non marmor, non tela, si manu artifici pronascatur. Cedite fallacia ignauarum mentium ludibria, virtute posteritas sine dolo occupatur, virtute propagamur, virtutis specie, quales aut qui sumus, nulla spectantium fraude, magna nostri gloria cognoscimur. Atq́ hæc est Tuæ sortis felicitas ILLVSTRISSIME ALBERTE STANISLAE RADZIWIŁ S. Rom. Imp. Princeps Magni Lituaniæ Ducatus Cancellarie. *Ingenti bonorum omnium dolore sublatus terris, ingenti tui Nominis incremento ades posteritati. Vixisse te dicere vix possumus (viuis enim adhuc plenoq́ virtutis vultu spiras) viuere nos vix crederemus, nisi Te intueri, admirari, laudare posimus. Fatemur perstringi oculos, confundi acies, neq́ tamen est quod excusemus. Non plus in aspectu Tui, ac laudibus spectatori, quàm pictoribus in sua arte licet. Laudatur tamen audacia, cùm luminis conspecta puritas, coloribus adumbratur, cùm meridiei claritas ingenio artificis obnubitur, cùm dies in tabula vesperascit, cum Sol nube pictoria tegitur. Nimirum necessitate peccatur, non affectu, vires operi desunt, non animus. Oriri lumen sub calamo aut voce non potest, quin obscuretur; radiare, quin deficiat. Has vices in Tuarum virtutum ô* PRINCEPS *lineamentis spectandis iuxta ac annotandis, subimus; vmbratiles ingenio, grati conatu: hæc pericula patiemur, nec tamen Tua simul patietur dignitas. Quemadmodum coloratus Sol ad radios veri*

 solis

solis contemplandos deducit, ita virtutum Tuarum ductæ à nobis vmbræ, tanto quoq; tristiores, quanto à mæstiore animo, post Tuum à nobis abitum ortæ: ad Tuorum meritorum splendorem fatiscentes oculos erudient. Experturi firmitatem aciei, oculos in Te ipso figant, nos lucem Tuam inumbratam difficile sustinemus. Neq; tamen aliâ formâ spectandus occurris, quam virtutis. Tot licet radijs circumfundaris, quot generis summa nobilitas, quot illustrissimarum familiarum ac inprimis LVBOMIRSCIANAE *inserta sidera, quot externorum Principum clarissima testimonia, quot maximorum in Republica officiorum gesta diffundunt munera: Tu tamen quidquid à maioribus luminis, ab amicitijs splendoris, à Principibus gloriæ, à Magistratibus summis, dignitatis accepisti, virtutem fecisti, quam more solarium radiorum, tanquam vnicum Solem cætera ostentent ornamenta. Hoc tu Phœbo perenni inuectus horizonti, orbem illustras, hic occasum apud te nescit, hoc illustrissimus semper suspicieris, & iam spectaris.*

IMAGO PRIMA.

Illustrissimâ iuxtaque antiquissimâ Ducum RADIVILIORVM S. R. Imperij PRINCIPVM familiâ ortus, auitam nobilitatem virtutum dignitate sustinuit.

INSCRIPTIO

Magnum nasci, fortunæ munus:
Magnum viuere
VIRTVTIS OPVS.

Lunam

Lunam fortuna, ſolem virtus in orbe agit.
Lunam Soli ſi oppoſueris,
Ingens amiciſſimorum ſiderum diſſidium,
terrarum damnum metuendum.
Vt radiet luna, radios à Sole accipiat;
vt fortuna, à virtute.
O felicem vtriuſque luminis concordiam?

In

ILLVSTRISSIMO PRINCIPE,
ALBERTO STANISLAO RADIVILO:

Ortus cum Lituania, adoleuit cum virtute.
Natus Dux ac Princeps, vixit Ducum Principumque Gloria.
Opulento turgens glorioſa ſanguine vena,
Pari fluxit gloriæ cupiditate.
Ibi tamen guttis, hic riuis.
Nobilitas Maiorum hæreditas facta meritorum:
Memoria, Imitatio: Gloriatio, Expreſſio.
Quidquid in Republica Polona magnum,
idem aliquando Radiuilianum fuit,
PRINCIPIS NOSTRI eſſe meruit.
Clauas, Infulas, Purpuras, Sceptra naſcens domi inuenit:
inuenta virtutibus amplexus, meritis inuoluit.
Tantum de Summis Maiorum dignitatibus vindicauit ſibi gloriæ,
quantum Summo heroi ſufficeret:
tantum de maximis ſpontaneè dimiſit honoribus,
quanti magnum feciſſent, ſi non fuiſſet.
Illuſtriſſimæ præterea Reginæ ab Eiſenreich conſorti
tum verò ab illius obitu,
Illuſtriſſimæ Chriſtinæ Lubomirſciæ,
Comitiſſæ in Wiśnicz
Coniugali fædere iunctus,
innumera inuentis adiecit decora

Dignitatis, & virtutis.
Vt ex PRINCIPIS consuetudine dignitas ornaret virtutem, virtus dignitatem coronaret.
Commune vt Genus, ita virtus infra Principem meritò æstimata.
ô quantis
Summa hæc generis humani ornamenta
etiamnum per orbem Polonum funduntur
SRZENIAVÆ LVBOMIRSCIANÆ fluentis?
Sanguine rubuisse fluuios, à cædibus Romanis, memoratur
totus sanguinis illustrissimi proluuio
inter purpuras Lechicas exundat SRZENIAWA
mitior impetu, gloriosior fonte.
Nec inuidendæ Oceano gemmæ.
Copiosiores hîc leguntur,
Quibus
æstimari non facilis, Concha,
MAGNORVM DOMVS LVBOMIRSCIORVM.
Lux, Generis claritas: Candor, meritorum sidus.
Abundè
Splendorem à Maioribus acceptum auxisti
MAGNE PRINCEPS?
quando Hæreditarios RADIVILIANÆ Gloriæ ac virtutis
ortus,
Nunquam defecturo SRZENIAVA cumulasti.

IMAGO II.

Non naturæ solùm, sed Diuinâ sorte felix à parentibus pietate Orthodoxæ Religionis commendatissimis editus, Romanæ Ecclesiæ professionem quoad vixit constantissimè retinuit & promouit.

IN-

INSCRIPTIO.

Cælum, cuius claues Petro datæ
Terræ aperiunt
Nam & Petrus cum in cælis degat,
in terris reſidet.
ROMA à Petri in terris MORA, ſedes cæli vicaria audit.
Et AMOR, cùm ſit ſiderum,
Sidereos ARMAT heròés.
Fruſtra bella mouetis Gigantes.
quæ ab alto non timetis, intra vos ſunt fulmina.
Alia manu opus non habemus.
Dextera & Brachium Dei Romanos montes agitat.
Vnicus contra omnes Hydras ſufficit Hercules,
Cui
Claues Petri, pro Claua.
Vni Capiti
Decemplex alliſuræ monſtrum.
Sed hem plorandam audaciam!
Placet multis interitus, dum ſalus dicitur.
Et bellum contumaciæ Pax conſcientiæ nominatur.
Gaude ſorte Cælica
ILLVSTRISSIME ALBERTE RADIVILE.
Cui
Vitam communem ingredienti,
Cœleſtis ſimul Ianua patuit.
Petri Clauibus Miniſtris, Petri clauium fortiſsimo Tutori.
Vnius arboris cum multis fructus
feliciori erupiſti RAMO.
Adamaſti Romam, quia veritatem.

Pugnasti pro vtraque, quia pro Deo.
Osor ingens tam scelerum, quam errorum
imo errorum, quia scelerum.
Mala fides cum bona vita nunquam conueniunt
et male Religione vti, mala vita est perire.
Hæc ô Princeps
prouidus intellexisti & vitasti
illud egisti beneficus
Vt Romanæ professionis sacra arma constanter promoueres
Sub quibus nemo etiam cadit, nisi ad victoriam,
Nemo iacet nisi ad Triumphos.

IMAGO III.

VLADISLAI Principis à SIGISMVNDO III. Rege ac Parente, peregrinationibus ad exteros Præfectus, regiones ab eodem Regum Sapientissimo iuxta ac Pijssimo vetitas, sollicitè vitat, nullisque sociorum consilijs è sententia dimoueri sinit, sed in eadem Principem continet.

INSCRIPTIO.

Non omnis tellus vno flore vernat,
Nec omnis arbor eodem fructu beata,
At
Placet Florilegium Pomilegiumque
Separentur odorata à venenatis, immatura à maturis.
Neque gustûs sed iudicij opus esto.
Serò nimis mors hausta vitatur.
Manu quoque venenis admota capimur.

Sapien-

Sapientiam tuam SIGISMVNDE Regum dignisſime?
Omnem amaſti virtutem, nulla vitia.
Eruditionem BONI optaſti Principi
Vetuiſti MALI guſtum
Vtrumque nec in paradiſo ſimul ſcire conceſſum
et cùm proteruè diſcitur
malo noſtro, male ſcioli plectimur.
Conſtantiam quoque tuam Sapientiæ Regiæ gemellam!
ALBERTE STANISLAE RADIVILE
Dum Parentis præcepta infractus in Principe filio imples
Regnum in vtroque conſeruaſti
In Parente cùm Filio Optimo relinquere poſſet,
In Filio cùm par Patri ſuſcipere meretur
In vtroque
Cum qua ſapientia alter ſuſcepiſſet, alter conſeruaret.
Aſia Italiæ illata, Italiam ex Italia excluſit.
Polonia
peregrino truſa impetu, vix in ſe ſubſiſtit.
Vt pedibus homines ſic Reſpublicæ moribus nituntur,
Anne alienis?
Vndique colligatur
Sed ſola
quæ cum vbique ſit diuerſa
vbique eſt eadem Virtus.

IMAGO IV.

Cancellarius M. D. Lituaniæ ex officio creatus, leges ſartas integraſque conſeruare ſtudet, non rarò ingenti ſpe lucri neglecta. Sic cùm à quo-

quodam Magnate decem millia aureorum offerentur, ne certi officij ſperatæ illegitimè adeptioni ſe opponeret, oblatum munus continuo reiecit, coram Chriſto, quem fortè ſub ſpeciebus Panis ſumpſerat, proteſtatus, ſe ne totius mundi pretio, iuſtitiam, veritatemque ſemel iuratam venditurum, adeoque graui ſermone egit, vt nec apud Principem, nec apud alios, opulentus ille Mercator auſus ſit id officij licitari.

INSCRIPTIO.

Tandem
In pretio pretium non eſt
nec cenſu ſed merito conſtant honores
ALBERTO STANISLAO RADIVILO
Legum ac Magiſtratuum Cuſtode.
Liber Principis animus ſuo ſe pretio æſtimat
nec toto emitur auro.
Aſellus Philippi, aſinis coronatis placet, non Aquilis
quæ perſpicaciſſimo RADIVILI è ſtemmate
mercede honoris, Principem emi,
cognouerunt, recusârunt.
Anne auro perſtringeretur cœleſtibus radijs aſſueta Ales?
Et tamen
Sol aureus dum fulget, non raro meridianus obſcuratur.
Pauci à ſiderea die, ab hac innumeri cæcutiunt.
Credamus iam Epaminondæ
Non ſolùm à Magiſtratu virum oſtendi, ſed & à viro Magiſtratum.
Vas pertuſum aquam non cohibet
Illo ſciſſo, hæc diffluit

Vaſis

Vasis vitium aqua, naturam aquæ, vas prodit.
Indignos officium arguit,
dignos cum ornat, ornatur.
Quantum sit CANCELLARIATVM agere certius scimus
quando ad officij æstimationem
Oblatum pretium PRINCEPS profudit
Non vt emeret, sed ne venalem faceret autoritatem.
Tanti constat Heroibus honestum
Vt omne vilescat aurum
An orbis etiam?
Cùm Iustum ac Æquum Princeps facto tueretur,
iustissimè ante tribunal velatum Dei
id decidit.

IMAGO V.

Reipublicæ tuendæ cohortes militares sub Sigismundo & Vladislao Regibus, tum etiam sub IOANNE CASIMIRO, ad Łoiouo, Meuam, Tucholiam, proprijs sumptibus aluit. Pacis tamen salutaribus artibus amplius deditus, extremis vitæ temporibus, fidelitatem in pluribus promouit.

INSCRIPTIO.

Bellorum domus, orbis est.
Martis Polonia diu fuit
fuissetque constantius
Si consilij fulcra viribus supposuisset.
Ex vtroque Princeps.

ILLVSTRISSIMVS ALBERTVS STANISLAVS RADZIWIŁ
non armis, non consilio Patriæ defuit
Negabit Zoilus, probabit veritas:
Carpet inuidia,
Loquetur Moscouia, Lituania, Russia, Prussia.
Pugnauit tantis viribus, quantis cohortibus
Vir idem, & magna sæpe pars Exercitus.
Vt pluries Patriæ prodesset,
pluries in suis eidem vixit:
vt diu
mori simul non debuit.
Fabios Reipublicæ dedit, Decios pectore gessit.
Toga tamen quam sago claruisse maluit;
& pericula absentia auertere, quàm immissa depellere.
Osor belli cùm vitari poterat, cultor pacis cùm retineri.
Vtriusque optimus Æstimator.
Pace enim hem Poloni, belli initia duximus!
togâ, cum fide plurium, deposita,
Sago, cum rebelli perfidia, assumpto.
ô quam arduum
impetus licentiæ semel effusæ, ratione cohibere!
Prosperitate publica, audacia; succesibus, contumacia concepta
Monstrum eiecit naturæ degeneris
PVRPVRATAM PERFIDIAM.
Natiuo sanguine ad gloriam tincta, publico ad scelus erubuit,
nec tamen Principi ruborem affudit.
Veteri fide vitam egit
nouo censu Reipublicæ impendit.

IMAGO VI.

Publicis humanarum rerum curis, priuatisque eam dedit operam, vt Diuinis præcipuam

impen-

impenderet, omniqúe ætatis ſtudio ad piè ac ſanctè viuendum conuerſo Pijſſimi Religioſiſſimiq; Principis famam apud omnes obtinuit.

INSCRIPTIO.

Non ſolùm nos nobis natos ſed & Patriæ dicebat Tullius,
Non nobis ſolum & Patriæ, docet Magiſtra veritas.
Magnam potioremque partem cœlo accepimus
reſtituturi.
Fallere neminem poſſumus, falli plurimum
Alibi fraus damnum alienum, hic noſtrum.
Accepta ſi non reſtituantur, perduntur.
Si reddantur habentur.
Quæ lucra credimus damna ſunt, quæ damna lucra.
Sibi dum viuitur deeſſe, viui cadaueris eſt.
Patriæ, criminis; cœlo ſupremi exitij.
Vixiſti ô PRINCEPS ILLVSTRISSIME
ALBERTE STANISLAE RADIVILE
& ita vixiſti
Vt ex debito ſoluto munificus Princeps noſcereris;
& opulentus debitor
quibus Te debebas, abundè impenderes, ſufficeres magnifice.
Optima pars vitæ ac ſtudiorum Optimo Creditori ceſsit
DEO,
magno, largitoris minimè indigi, & debitoris omnia impendentis, lucro
Ille cùm omnia plena habuerit, theſauros auxit
Hic cum omnia impendiſſet
nihil expendit
Quàm vana à mortalibus cælum inter ac terras fingantur diſſidia.
diſcamus exemplo Principis
Vtrique natus, vtrique vixit, & ſuffecit

Nec Patria suum Cælo, nec Cælum suum Patriæ inuidit Principem
Laudauit communis consensus Religiosissimum Heròëm
Probauerunt sidera
Vt demum emeritam summæ pietatis Coronam
Vtriusque arbitrio assumeret
Posteaquam Patriæ quod debuit, exoluit
Cœlis se reddidit.

IMAGO VII.

Inter maxima statui Principis ac Cancellarij agnata negotia, consilia Regia, visitationes virorum Principum, iudicia publica, Diuinum Officium Sacerdotibus recitandum quotidie exoluit: itemque Officium quod vocant paruum B. V. MARIAE. Officium de Immaculata Conceptione. Rosarium &c. præter alia Superûm honori litari solita pietatis exercitia.

INSCRIPTIO.

Regale forum aula est
in quo multum magnificarum mercium, plurimùm temporis prostat
Extra fori autem pene mores.
Vix vsquam emitur.
Sub hasta tanti res pretij locata, pretium perdidit
Culcitram Augustus vnius noctis quieti conciliandæ non inuenit
Tempus, vitæ præbiturum quietem contemnitur
Alia potiorque
ILLVSTRISSIMO ALBERTO STANISLAO RADIVILO
Summæ rei æstimatio

Nec

Nec vile, nec nimium visum, rem sua mole ponderanti
In quodcunque incidit suum fecit
alio quidem vsibus humanis, copiosissimo Diuinis attributo.
Partitus vt colligeret, diuisit vt integrum seruaret.

Iustissimus Iudex

Vt redderet vnicuique quod suum est;
Æquissimus bene meritorum Amicus
Vt eum se testaretur ad Aras;

Sapientissimus Regni Consiliarius

vt bene aliis suadendo, sibi optimè consuleret:

Gloriosissimus Cancellarius

Vt dies honoris sigillo in æternitate signatos agnosceret
nullis à temporis lucro negotijs dimoueri se passus
ac ne dolo paterent
Pijssimis in Deum, Deiparam Virginem, Diuos Cælites
officijs quotidie sigillabat.
Princeps in Curia, sine detrimento sanctitatis
Sacerdos inter negotiorum tumultus, sine necessitate professionis
Deuotissimus Virginis Matris seruus sine damno libertatis
Ædes publicas priuatasq; , subsellia præterea Senatus & Regum palatia
in templa vertit.
in quibus censum Sacerdotalis Officij penderet
Ad aram vtique pectoris Deo sacri
Hanc vt talem noueris
Coronatam suspice
Non lauro, aut bacca, sed rosis lilijsque Marianis
ritu melioris Romæ litatis.

IMAGO VIII.

Præter orationes sacras voce persolutas, contemplationi rerum Diuinarum quotidie vnam

horam

horam tempore matutino, ſæpe ternas quaternaſque diuerſis temporibus impendit.

INSCRIPTIO.

Principium à Ioue, cum Ioue progreſſus felix eſto
Sed Iouem non fingimus nec Fortunam
Qui Solem fecit vicibuſque diurnis reficit
Hic nobis Principium, hic Progreſſus, hic Deus.
Non ſua Sol nitet luce, non ſuo renidet aurora decore
Vultus ille Dei, hic oculus eſt.
Cuius corpus, vniuerſum: membra, elementa: Spiritus, motus vniuerſi
Nec tamen cum hoc eſt, eſt.
Nec hoc vultu cùm ſpectatur, apparet; nec hoc oculo cùm videt, intuetur:
Nec hoc Corpore conſtat, nec his partibus diuiditur, nec hoc motu viuit.
Aliud
Oculis non ſubiectum. Ingens, Admirandum intellectu maius ſibi eſt
Nobis tamen hoc quoque
Non quod iſtud ſit, ſed quòd in hoc, quid ſit, cognoſcatur
Lucis Diuinæ tenuis linea Solaris lux eſt.
Ex linea Appellem
Pulchritudinis ſcintilla, auroræ claritas
Ex ſcintilla ignem
Magnitudinis particula, mundus
Ex parte totum.
Actionum inſtrumenta Cæli, ignis, àër, vndæ, tellus
Ex gladio brachium
Vitæ leuis halitus. Vita omnium
Ex reſpirio vigorem.
Felicem Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS
ALBERTE STANISLAE RADIVILE
Cui dierum principium ab hac Diuinæ æſtimationis contemplatione
Progreſſus cum hac.

Auro-

Auroram non respexisti quin Deum aspiceres, Solem à nocte reducem
non excepisti, quin Deum animo reciperes,
Ioue non egebas, Deo imbutus
An dignior occupatio Principi, quàm cum Deo
an gratior Deo, quàm cum Principe?
An rerum agendarum melius Principium, quàm àb vniuersi Principio?
aut perficiendarum potior ratio, quàm à summa ratione?
Omne trinum perfectum, hîc maximè sit necesse
& Principium, Mediumque cùm obtinuerit, Finem imponat Deus.
Currite horæ Deo meditatæ currite?
binis ternisque passibus cùm processeritis,
ad perfectum diem facilè proficietis.
Verùm & quaternis, quinisuè incrementis auctis
ad Principium, à quo cæperatis decurrisse
Satis erit.

IMAGO IX.

Aulæ suæ integritati studiosè semper inuigilans, familiam semper vigilijs præuenit, eâque somno deditâ Rosarium D. Virginis recitabat, tum pro domesticorum defectibus, tum vt aiebat præueniendo morbi tempus, quo impeditus, non posset id officij D. Virgini præstare.

INSCRIPTIO.

Nulla pænè nox famulis, dies Heris
Dum hi pro illis continuo vigilant, illi per hos semper dormiunt.
Somnus & vigilia vitæ communis vices
Obsequia propria deseruerunt vt commendarent aliena.
Iniurijs quoque suis natura benefica

Vt matrem ſe probet, interdum degenerat.
Luci & tenebris fundendis edita
Lucem aut noctem ſolam multis gignit
Sol & Luna in habitaculo ſuo diu ſtabilia,
tandem
ad ingenii humani mobilitatem mota ſunt.
Sic nobis
Non rerum tantum, ſed & cæli vertitur ordo.
At durauit glorioſè integer
ILLVSTRISSIMO ALBERTO STANISLAO RADIVILO
Meritus vigilias omnium
egit pro omnibus.
Stipatus Curiæ obſequijs, ſtipauit Curiam inſignibus, curis.
Nulli ceſſurus, communem voluit virtutem.
Aliena vitia non credidit, quæ ſuorum dici poſſent
pulſa animo, prohibuit aula.
Confudiſſent non inglorium certamen
imperantis ac obedientium mutua pro ſe ſtudia
Niſi claritas Principis in tenebris effulſiſſet
Somno familia vacante, inſomnis pro familia exorabat Heros
Sol de nocte lucebat
totis ſimul oriens annis
Cùm toti aſſumpto pietatis exercitio prouideret ætati:
totum ſimul daturus diem,
Cùm Auroram per ædes circumferret Marianam
Hinc illæ Cælicæ Roſæ. hinc de Roſario feliciter conſito
Principis Domus, Roſarum Hortus
Abeſte procul rudes vrticæ mordaceſque ſpinæ
Quidquid cælo non bene olet, roſæ iſtæ non ferunt
Hortus prohibet.
Conueniens domino eſt, moribus aula ſuis.

IMAGO

IMAGO X.

Diuos Cælites ſingulari affectu proſecutus ex more Sodalibus Congregationum Deiparæ in Collegijs Societatis IESV recepto Princeps & Mag: Duc: Lit: iam Cancellarius ſtatutis diebus, Almæ Academiæ Vilnenſis Sodalitia, ad legendos ſorte aliorum Academicorum, Tutelares menſium adit, ac inter reliquam iuuentutem ſortilegio ſacro intereſt.

INSCRIPTIO.

Adeo proni in genus humanum cæli
Vt quos ipſa fortuna fugit
admittant ambientes,
Pulcherrima audacia, tantùm hîc meremur
quantùm demeremur alibi
Prenſamus manus felicitatis ſupremæ baiulas
Clientelaſque non vitamus, non ſuperbè ambituri.
Tuam verò ſingularem cum pietate induſtriam
ILLVSTRISSIME ALBERTE STANISLAE RADIVILE
Nullas demerendi cælos omiſiſti partes, omnes meritus,
Quàm raró conueniunt
Autoritas ſumma & demiſſio?
Quàm magnificè
Ambitam glorioſo ſinu vtramque intuliſti Academiæ
M. D. L.
PRINCEPS ET CANCELLARIVS
Non potuit non plurimùm ſapientia ſapuiſſe.

Cùm minimum ſapere ſpectaculo Principis diſceret
nec glorioſiorem veræ eruditionis Doctorem conſpexiſſe
tanto Principe, Humilitatis ac Pietatis, Publico Profeſſore.
Studioſus Diuorum Tutelarium cultus hactenus viguerat
tunc in Laurum maturuit
genua ſupplicis ante aram Diuorum Principis coronaturam,
Cinxiſſet vtique Caput,
niſi demiſſa inclinatione Cælo inſertum
immortaliori ſerto præuentum fuiſſet.
Dies tamen inaugurati Cælitibus Principis ſingulis inſcripti menſibus
Vno tanta pietas claudi die quî poſſet?
Quicunque iam magnos ſpectatis Principes
dum parui fiunt pernoſcite.
In imo nemo magnus videtur, niſi ſit.
in alto trunco quoque creſcimus.
Sorte optima Principis noſtri magnitudo patuit.
Inter alumnos teneræ pietatis permixtus
Gigas virtutis apparuit
geminaque ſimul ſorte
Cœlitum Tutelam, Mortalium laudem, nactus eſt.

IMAGO XI.

Sacratiſſimo Miſſæ Sacrificio quotidie intereſſe ſolitus. Sacramenta Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ non menſibus tantum ſed ſingulis pænè hebdomadis frequentat: Sacris item Seruatori eiuſque Virgini Matri diebus, tum etiam Diuorum Tutelarium ferijs: quorum virtutes quoque ſummo delectu recolit.

INSCRIPTIO.

Vno vitæ ſpatio
toties viuimus quoties mori poteramus
Momentanei homines, Horarum lucella Quotidiani infantes
Hoc ſolo felices ſumus
quia extra arbitrium noſtrum poſiti ſub iuſtiſsimo vitæ neciſq; arbitro
viuimus Deo.
Prô quantum hoc nomen pondus inuehit?
Cogitent alij, ſuſtinuit generosè
ILLVSTRISSIMVS ALBERTVS STANISLAVS RADIVILVS
quoties viuus, acceptæ vitæ Deo gratus.
Nec tamen gratus ſibi viſus, ſi ſe beneficijs autoris impendiſſet
Par Deo donum, Deus eſſe debuit
Sacris religione pura inſtitutis ſibi oblatus
Sic de alieno Princeps munificus, de ſuo Deus ditatus.
Imperatoribus olim menſes ſacrati
vni omnium Imperatorum Imperatori à Principe:
Grandi certè compendio
Sacri Panis circulo inuoluti
Nouus cœleſtis Magiſterij diſcipulus.
Calendas pectori inſculptas geſſit
ad quarum præſcriptum tutelaria veneraretur ſidera
Septimanam concluderet pietatem.
Occultam ſublimis ſapientiæ eruditionem
Vmbra tegumenti corporei prodidit
diebus Chriſto, Virgini Matri, Diuis cælitibus ſacris
Deo ſub pane velato
Sacrum Principis pectus inumbrans
Nec fruſtra de Virgine cera vmbræ ſpecies adhibita
Sagaciſſimum Diuinorum ingenium
dum Pane cœlico veſcitur

F 2 Mella

Melia cælica à se requiri intellexit
& dedit
De floribus pulcherrimarum virtutum
Pauli, Stanislai, Ignatij, Xauerij
eo delectu, vt sua cuique florum laus esset
eo artificio
vt omnis dulcedo in vnam trasnferretur
velati Corporis Christi ceram.

IMAGO XII.

Orationes meditationesque sacras flexis genibus persoluebat, cumque succumbente tenero corpore oneri genu alterum grauiter attritum fuisset, post diuturnam dissimulationem nonnisi periculi grauis iusto metu ad medendum pedi igne diro affecto adduci potuit: quo tamen tempore cùm non posset vtroque genu, altero flectebat, susceptas Deo preces redditurus.

INSCRIPTIO.

O magnæ prodigia aulæ!
paucorum in Principe exempla Cænobitarum
Supplicem Principem habitus monstrat,
leuat casus humilem
Quantum descendit pondere corpus, erigitur animus
Scabellum pedum domini ponuntur inimici
fit sponte amicus.

Quid

Quidni Numen inuocatum ad ſe flectat
tam demiſsè flexus!
Ars vna Deo accedendi, deſcendere.
Genibus minor factus, cælo caput inſerit
Si ſtaret, tantus non excreſceret.
An & hac ratione par fieri homini amat Deus
Vt ille è genibus, ad genua domini attingat
inde delabatur ad veniam?
In pedibus ſermo multis, paucis de pedibus
Obrui dignitatem procumbendo rati
Maieſtate perorant
Grandi eloquio. parui Oratores.
Decernat Magnus orandi Magiſter Apoſtolus Iacobus
Vtrum gloriosiore calle ad callum genibus flexis peruenerit
an Princeps noſter ad vulnus?
Sponte ſuſceptum, vt ignauia ſanaretur,
diu toleratum, vt pede læſus, ad iter mentis expeditior eſſet.
O facilem pietatis viam?
Vno quoque pede ad ipſius thronum Dei ſalitur.
eodem tota conſtat oratio
inuſitata ſed optima conſtitutione.
Pluſquam tamen bonus Orator Princeps
Ardet Phœbeâ face genu
pectus Diuina.
Quæ metra hoc enthuſiaſmo captus fuderit
beata recitabit æternitas.

IMAGO XIII.

Ieiunijs alijſq; corpori inflictis moleſtijs non contentus, nouo Dei cauſa affligendi corpus accenſus deſiderio, machinam inuenit, quam

 ingreſſus

ingressus nudatos augustos illos humeros famulo flagellaturo proponeret, datis præceptis ne vllis gemitibus, aut sensu, à præscripto plagarum numero manusque seueritate se dimoueri sineret. Ita autem sacrum illum carcerem ordinauerat, vt ingresso, & ab extra clauso, nullus motus liber esset ad dolorem minuendum, sed sola vincendus sensûs tolerantia.

INSCRIPTIO.

Iterum in aula Eremus, in palatio Martyrium?
Quàm ingeniosè inueteratus se renouat Amor?
Quàm liber in tam arcto carcere animus?
Quàm spatiosa in tantis angustijs Principis libertas?
Quàm augusta in tanto verecundiæ rubore purpura?
Desipiunt obsonia palati, sano palato
meliusque ieiunio expletur
Temperantia conuiua.
Multa tamen dum sibi negat Princeps, nihil Principi
Maximus Princeps, cùm victor sui
Agnoscite veri ingenium Amoris
Nouis ignibus, noua quærit continuò fomenta
Non amor si non ignis, non ignis si non nouus perpetuò ignis.
An virtus nocua esse potest
totque iustissimis plecti tormentis
queri poterat?
Ne falleremur
Nudata humeros visa Innocentia
ab oculorum, quàm flagellorum ictibus rubicundior.

Vtrum-

Vtrumque tamen passa
Vt intus, & in cute sincera nosceretur
Herus sub manu famula plectitur?
Libertatem ad obsequia debita erudit.
Audiri suos gemitus non vult?
Cælo totos transmittit.
Numerum plagarum minui nefas censet?
Nil consonum turbato numero.
In hac potissimum cithara innocentiæ,
Subsultu sanguinis, cantũ animi, plausũ poli.
Sic sonat, quod cælo, quod æternitati consonat.
Luctatur corpus spontaneo inclusum carceri,
Animus corpori:
Neutrum suum odit tormentum.
Tormenta Dei causa suscepta certissima omniũ lenimenta dolorum.

IMAGO XIV.

Munificentia in egenos semper eximia, Vilnæ famis tempore ingentes pauperum turmas, publicis prandijs per plateas distributis SOCIETATIS IESV personarum operâ alit: tum rursus Pinsci pari in necessitate totius vrbis egenos, ac aduenas sustentat. Dotes multis indigentibus elargitus, postremo Ołycæ censum perpetuum pro dotandis quotannis Virginibus egentioribus fundat.

INSCRIPTIO.

Nisi
munificentiæ amorem, pectoribus humanis natura inseruisset,
grauem se probasset Nouercam,
Neget interea multa multis, rea tamen non est.
Dat omnibus, quod opulentis
quia dat pro omnibus.
Magna Domus, Mundus est,
Vnius Patrisfamilias beneficio viuit,
per varios dispensato.
Assurge gloria ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ALBERTI STANISLAI RADIVILI
fulcrum eminentius non requires
opibus in egenos à Principe effusis scabellum stratis
Nullus illi dies perditus
quo non amici de muneribus beneficis comparati.
eò Tiberianis meliores, quo indigentiores
Rediuiuus officio & virtute Eleazarius.
Egenorum defensor, altor, seruator fieri vnicè studuit,
meruit.
Ne sacra illa pectorum fames
cor suum exederet,
Ostendit quæ innocuo vti possent auro pectora.
excitauit munificentia auxiliaturi desideria auri
fameque liberaliter immissa, famem male vexantem sustulit,
Ingenti Vilna non suffecit vastitate
ambiendæ liberalitati Principis,
Pinscum inde prouecta, & transuecta,
Ciuibus ac aduenis suffecit.

Parens

Parens pauperum vocari amauit,
Vrbium dici potuit,
Auri & vitæ gloriosissimus largitor.
Gratum cælo spectaculum,
Ciuitates, mensæ: pauperes, conuiuæ:
Multitudo conuiuarũ, quæ cælo tegi posset; beneficẽtia largientis
quæ ad omnes pertingeret.
Euangelicorum typum conuiuiorum spectasses,
Nisi quòd ibi diurna, hìc pænè annua prouisa sustentatione.
ibi munera exigua miraculo aucta, hìc magna generosè expensa.
Vtrobiq; Socijs I E S V adiutoribus instructæ epulæ.
Vt ex socijs autor facti nosceretur, in duobus vnus.
Quis non crederet immortalem hanc munificentiam?
Inuenit Princeps
quod in ipsa firmaret perennitate
Perpetuò dotandis egentioribus
fundato Ołycæ censu.
Tantus amor virtutis Principi,
vt in alijs quoque auro æstimaret.
Tanta liberalitas,
Vt ne cælum sine dote adire vellet.

IMAGO XV.

Templa in ditionibus sibi subiectis alia amplificat, ornat alia, multa de nouo erigit, vt in Capit: Pinscensi, Pinsci. in Caunensi Rumszyskis. in Velonensi, Velonæ. At Ołycæ in Vrbe hæreditaria, templo, sacrum Canonicorum Collegium, & Academiæ coloniam addit,

tum verò templum vasis sacris é puro auro amplè ditat.

INSCRIPTIO.

Vicino Deo tuta omnia
Domestico, tutissima.
An verò alienus ab eo quod incolit?
aut Domus eius alibi, quàm vbi degit?
Abite profana fanorum ludibria, & simulata simulacra.
Templa, Numinis veram sedem veneramur.
vniuersum non negamus,
Domesticum habemus semper Numen, interdum facimus
Augusti id genus ingenij, & Tui
ILLVSTRISSIME ALBERTE STANISLAE RADIVILE
Eadem confinia virtuti, & Tibi,
Virtuti & Deo.
Vt tamen proximum faceres lateri admouisti.
Nusquam dominus, nisi diuiso cum Deo dominio;
Nec possessor, nisi partitis possessionibus;
Nec hæres, nisi duo ex asse Hæredes.
ô iucunda terrarum monumenta,
Aulas dignas Principe, templa digna Deo!
Sic cultas aulas, vt Deum incolam mereantur,
Sic culta templa, vt Deo incola gaudeant,
Principe autore glorientur.
Experiri qui cupit,
Pinscensem, Vielonensem, Caunensem, Capitaneatum respiciat.
Excellit cæterorum gloriam Olyca;
Quidni excellat?
Pulcherrimi certaminis theatrum facta est,
in quo contenderetur,

Vtrum

Vtrum naſcentis Principis locus,
Hæreditas Principis, an Dei dici deberet?
Decernite GLORIOSISSIMI PRÆSVLES ERVDITISSIMI Academici
Principis Noſtri ac Veſtri ſententia patuit,
Cùm Collegio Sacratiſsimo Academicæq; Coloniæ florentiſsimæ
aureo adiecto apparatu:
hanc beneficio quæſiuit gratiam,
vt ſibi conceſſa, Deo redimeret:
aureaque donatus velatæ maieſtatis ſede,
aureis cultus ignibus, circumfuſus fulgoribus
Deus.
aureo ſemper Olycæ reluceret vultu.

IMAGO XVI.

Omnium Ordinum Religioſæ diſciplinæ addictorum, ſed inprimis Societatis IESV cultor ac benefactor conſtantiſſimus. Collegium eiuſdem Societatis Pinſci erigit ac fundat; templo quoque extruendo cenſus aſſignat.

INSCRIPTIO.

Oderunt mali bonos
In promptu cauſa
Se quiſque in alio odit, vel amat.
Multis virtus inuiſa, quia aliena; cara vitia, quia agnata.
O bonarum cauſarum, Tribunal peſſimum?
pro ſuo merito demeritoque de alijs decernere.
Apud probos iudices, ſilet vultus, cauſa perorat.
Nunquam rea virtus, coram virtuoſo
quanquam diſſimilis, aut inſit alteri.

Tuam PRINCEPS ILLVSTRISSIME,
ALBERTE STANISLAE RADIVILE
Loquimur cum virtute Sapientiam.
Amasti virtutem, quia coluisti,
Varia in varijs visa, non aliena
Sparsa, non peregrina
Secreuisti in Religiosa paupertate, quod aulicæ misceres opulẽtiæ
in seueritate, quod delicijs,
in mancipatu, quod libertati.
Necti dissita natura non poterant, affectu iunxisti,
Ambitus purpurâ
pannosos non exclusisti Franciscos, Dominicos, Ignatios,
Intus erant, dimoueri non poterant.
Dedisti tamen hoc inprimis Societati IESV,
Magnus, Minimæ,
Vt de loco nouissimo aduocatam
in Supremo pectoris collocares hospitam.
ac ne de animi sensibus dubitaret,
Collegij Pinscensis egisti auctoramento.
Addidisti templo erigendo census,
beneficio pretium, pretioque beneficium.
Marmore iam tua non scribetur, sed constabit fama,
Saxea ad fortunæ impetus, sacra ad memoriam.

INSCRIPTIO II.

Eiusdem Imaginis

Nomine Collegii Pinscensis
SOCIETATIS IESV.
Vixisse te lacrymamur,
quem viuum semper DEO & PATRIÆ optassemus
ô Parens, & Princeps!

Acerbus

Acerbus gaudij veſtigator luctus,
Si tanto ſæuiret tempore, quanto indulſit
tolerari vix poſſet:
nunc
tota vno conditur ſqualore Æternitas.
Exceſſiſti terris, non cordibus, non animis noſtris;
conditus tumulo, ſeruatus gratis pectoribus.
Hic te mæſti ſublatum orbi ſpectamus,
grato vtinam obſequio, quod docuiſti.
Nihil nos tuis beneficijs par ſpondere poteramus,
nihil Tu Tibi promittere.
Pectoris placita, placeat ſinceritas,
Mancepſque grati ſtudij animus.
Sequemur minimè coacti, quo Te maximè inuiti dimiſimus.
Neque tamen à Tui memoria diſcedemus.
Succedet ſera abeuntibus poſteritas:
& quæcunque diu aduenerit
Tua noſcetur.
Te corde, Te vultu, Te vitâ, & Perennitate ſua referet
Viues vnus in omnibus.
Omnium in vna ætate Collegij Pinſcenſis ætatum, Fundator
Quod ſi Superis aliqua terrarum cura ſupereſt
vt ſupereſt.
Spectabis ab alto, glorioſus Tuimet ſpectator
theatrum nobile virtutis & ſcientiarum,
Gymnaſia Iuuentutis eruditioni, à Te Pinſci erecta;
Videbis ad Tuæ imitationem Virtutis
Gemmantem Integritatem,
Efflorеſcentem Deuotionem,
Succreſcentem Pietatem,
Matureſcentem ſanctitatem:
Triticum vtique areæ Domini Tui;
Cui ne funeſta ſuperſeminarentur zizania,

Vigiles posuisti Custodes,
Præsidemque Sapientiam.
Crescent felicia è tali satu germina,
brachijs defensa RADIVILIANÆ Aquilæ,
decursu recreata LVBOMIRSCIANI Srzeniawa.
Sed heu!
& lætus ille Srzeniawa mæstis nunc diffluit lacrymis,
& triumphalis ALES
pullato absentiam heri luget cultu.
Vale ô Princeps, & Parens Augustè!
Æternam Tui ad templa arasque à Te erectas Sacraturi memoriam
Æternum Tibi nosmetipsos figimus monumentum.
Quidquid erimus, Memoria Tui erimus.

IMAGO XVII.

Immaculatè Conceptæ Deiparæ Virginis cultui deuotissimus, nihil se vnquam negaturũ, hoc venerando titulo petitioni interueniente, animum obstringit: inde non leues sæpè iniurias, multaque millia pecuniæ aliquando donat.

INSCRIPTIO.

Fauete Superi!
Nouum immaculatè Conceptæ Reginæ vestræ
Surgit à Principe trophæum.
En turrim Dauidicam mille clypeis ornatam,
iræ vindictæque ereptis.
Ad genium plane Patris æterni;
quicquid petitum fuerit hîc, datur.
Ad genium Filij,
Matris Diuinæ à Principe colitur honor.
Nasciturus in tempore de Matre, natus de Patre ab æterno
Deus

Deus
arcum contriuit, ne è longinquo; arma confregit, ne è propinquo,
concipienda læderetur Mater:
Scuta denique exussit igni,
Ne communi iure, contra Iuris Dominam,
Communis se tueretur hostis.
Rursum igitur arma scutaque sacrantur Virgini,
Ne ira ac vindicta hominis ad illius nomen valeat,
ad cuius primos aspectus, totam Deus deposuit iram.
Ludens coram Domino omni tempore
& ploratuum nostrorum causæ temporisque ignara MARIA,
peccatum audire non potest, antequam condonetur.
Terribilis vt Castrorum acies, armis gaudet
Non nocituris, sed quæ non nocuerunt.
Ab æterno, & ex antiquis, antequam terra fieret ordinata,
alium ordinem non didicit, nisi Deo coæuum
Clementiæ.
Iustitia cùm nusquam Deo abfuerit, serò cognita.
At
auro simul & ferro emicat Principis trophæum.
Ferro, ne vlcisceretur, Virgini appenso; auro, post iniurias, donato.
A latere ferrum, de latere aurum promitur.
Culpa in beneficium vertitur
Aliud Marianum Principem non decuit.
Nam & illa
generis humani scelus in beneficium vertit,
cùm immaculatè Concepta,
publicum nascitûrorum probrum, ad vincendum hostem transtulit.

IMAGO XVIII.

Propagaturus ad posteros virtutum eximia documēta, libros complures eruditione ac pietate maximâ: atq; inter eos de laudibus Deiparæ Virginis, & cruciatibus Spinarum Christi,

præclara opera edit. Demum eximio operi rerum ſuo ſæculo in Europa geſtarũ immoritur.

INSCRIPTIO.

Vix bonus, qui ſibi ſoli bonus.
Liberalis virtus, more fontis in riuos exundat.
Diſcamus facienda, facto Principis.
Virtutibus vixit, ſcripſit virtutes
Quem libros piget legere, legat vitam.
Quem vitam, libros.
Et in vita libri, & in libris vita cernitur.
Glorioſior tamen vitæ Panegyris,
ideoque prior.
Magnis conſtent monimenta momentis,
hic iure dubites quibus?
In maximis Reipublicæ, domuſque maximæ negotijs,
Materies ſcriptionis eadem, quæ ſalutis;
Ætati ſimul & Æternitati laboratum opus.
Prodige vni lucro labor impenderetur, par duobus.
Variatum idioma, vt conſtaret doctrina.
Latinè ad venerationem argumenti Romanæ Religioni ſacri, locutus,
patrium idioma ad vſum communem permiſcuit.
Italicâ, Gallicâ, Germanicâ ſcriptione abſtinuit:
Vt doceret, non quantum ſciret, ſed quantum fieri, cùm feciſſet, optaret.
Capita præcipua librorum. Capita rerum mundi,
IESVS & MARIA.
Altero dum ſpinas ſeruatoris numerat, aculeos criminum effringit:
Altero dum lilia decoris Mariani recenſet, lilia de ſpinis educit.
Vtroque (ac cæteris) eam cum pietate eruditionem claudit,
Quam
Sanctiſſimi Doctiſſimique viri ſuam optent,
Principis noſtri admirabundi profiteantur.
Tandem pigeat non eſſe pium,
vbi tam grandi teſtimonio
Pietas ſuadetur ab aulâ.

Latè

Latè Te Tua per eruditos calles, circumducet peregrinatio,
NICOLAE RADIVILE, PALATINE VILNENSIS,
Spectator ac ſcriptor Terræ ſanctæ, Grauiſſime.
Iungetur æternus doctioris famæ Comes,
ALBERTVS STANISLAVS RADIVILVS,
Operi etiam de ſui ſæculi geſtis in Europa meditato,
ne tot operibus æternitatem nondum meruiſſe videretur
immortuus.

IMAGO XIX.

Ætate meritiſque grandis morbo Gedani arripitur, atque ad vicinam mortem diuturna tolerantia ſe diſponit. Poſt obitum à Sereniſſimo Ioanne Caſimiro Rege Poloniarum inuiſitur.

INSCRIPTIO.

Habent & merita ſuam ætatem
Quamuis nunquam ſeneſcunt, aliquando deficiunt.
Senij locum mors, mortis, præmium obtinet.
Capitis decus, terrarum propago flores.
Cælicus honor, humanarum mentium ſoboles virtus.
cùm maturuerint, nectuntur in coronam,
aureo filo ætatis.
Nuſquam tamen hoc ſertum citra cupreſſum conſpexeris,
Fatalis terræ appendicula, cælo triumphalis eſt.
Supremum meritorum Coronamentum.
Vixeras Princeps, vixeras.
Satis Tibi, ſatis meritis, parum deſiderijs noſtris,
cùm heu!
triſtis è cælo demiſſa cupreſſus
fatalem Tibi Gedani indixit diem.

Pulchrum erat
intra vrbem ſeruatam, Seruatorem Patriæ.
intra annulum fidei, Gemmam fidelitatis
intra ambitum conſtantiæ Atlantem Lituaniæ occumbere.
Pulchrius
Luce Lechica
Sereniſſimo IOANNE CASIMIRO Rege Poloniarum
poſt occaſum illuſtrari.
Pulcherrimum
à Corona egredi ad Coronam
à ciuica, ad Triumphalem.
Hinc exire ſeruatæ in patriam fidei Regio inſignem teſtimonio
eo peruenire
inuiolatæ in Deum obſeruantiæ
glorioſum iudicio.
Ibat, ibat Heros
Securus conſcientia, hilaris expectatione.
Territa mors, dum non timetur
diu impetum diſtulit, integra Principis vigilantia
diu morbis præluſit, integro robore
Age glorioſe athleta
Vt morti cedas, non concedes.
Comitem te non captiuum habebit,
Multum intereſt,
Mors aliquem rapiat, an aſſumat.

IMAGO XX.

Poſt vitam integerrimè actam, ſingulis diebus in morbo ſupremo animum confeſſione expiat, bis interdum ac ſæpius eandem adhibet. Pari quoq; vigilantiâ mentis, SS. Euchariſtiâ

pænè

pænè quotidie reficitur. Tandem desiderijs cælestis patriæ anhelans, Patres Societatis IESV lectulo assistentes his allocutus: Quid facitis ô Patres mei, cur orationibus vestris discessum animæ meæ ad videndum Deum retardatis? in Domino quiescit.

INSCRIPTIO.

Adeste mortales
Ingens supremæ sapientiæ, panditur theatrum,
Schola, Palatium: Præcepta, exempla.
Discite bene viuere, discite bene mori.
Silentio vocis, professione mortis,
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ALBERTI STANISLAI RADIVILI.
Occasum tuum ô Princeps!
Cum sole fulsisti, cum eodem occumbis
Diem gestasti pectore,
Vesperum spontaneis induis tenebris.
Innocentiæ perpetuus defensor, tandem accusator factus
ream statuis ante suum Tribunal.
An aliter Cancellarius mortis, quàm vitæ iudicabit?
Dicat ignarus
Innocentiam minime ream inueniri, cum maximè accusatur
Probatur, non damnatur virtus examine.
Quàm iustè in alienis causis Supremus iudiciorum egerit Præfectus,
tum maximè ostendit,
Cùm se suæ subijceret accusationi;
Diuinæ sententiæ
Sæpius quoque in dies virtus accusata, & sine culpa inuenta.
Damnabatur opus ab autore, probabatur à iudice
Heu quantùm premunt lapsu caduca!

Minima æternitatis pondere incumbunt.
Vitauit Princeps onus, pio ingenij astu.
Egressus mente mortalitatem, antequam hæc concideret,
ingressus immortalitatem, antequam illa premeret.
Grande pariter longumque iter vt breue faceret.
Secum detulit, ad quem properabat Deum
in via terminum, in progressu finem,
Formidasset vtique Iudicem
nisi meruisset diu Amicum.
Felicis amicitiæ, felix oblatum sæpius insigne
Vmbra panis, fæderis inter Deum ac homines robur.
Velamen candidum, pignus sortis candidæ,
Calculus albus Æternitatis.
Hinc illæ desideriorum flammæ, hic anhelitus animi
ad libertatem perennem eluctantis,
Quid facitis inquiebat
discessum animæ meæ ad videndum Deum
Orationibus vestris retardatis?
O vocem Æternitatis Candidato dignam!
O animi virtutis conscij testimonium ingens!
O religiosissimo in Principe portentum audaciæ!
Vrit oculos, inclusus cordi Deus:
Videri vult cùm amatur, amandus cùm videbitur
Hoc circulo felix æternitas gyretur.
Princeps noster iam rapitur,
Abite mortales
& gyro volucris vitæ inscribite
Bene vixisse, bene mori, bene mori, bene vixisse
bene vixisse, & mori
Æternum viuere est.

